INCLVTAE LITTERARVM VNIVERSITATI

IVLIAE MAXIMILIANAE VIRCEBVRGENSI

SACRA SAECVLARIA TERTIA

IPSIS KALENDIS AVGVSTIS A. CIƆIƆCCCLXXXII

CELEBRANTI

CONGRATVLANTVR

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTOR ET CONCILIVM.

INEST GEORGII KAIBEL DE INSCRIPTIONE HALAESINA COMMENTARIOLVS.

ROSTOCHII.
FORMIS ACADEMICIS ADLERIANIS.
CIƆDCCCLXXXII.

Μουσέων ἱερὸν ἦμαρ· ἀεὶ θεαὶ ἤπιαι ἐσθλοῖς,
αἳ χὐμῖν πολλῆς εἵνεκεν εὐσεβίης
τήνδε πολυχρονίην ἔδοσαν χάριν. ὑμετέρῳ δὲ
συγχαίρει Μουσέων ἡμέτερος θίασος.

Vniversitati VESTRAE celeberrimae tertium saeculum conditurae est sane cur etiam nos quotquot sumus universitatis huius Rostochiensis membra ex animi sententia congratulemur, quod tam ingens temporis spatium, si quidem rerum humanarum brevitatem ac fragilitatem spectamus, tam feliciter tamque gloriose emensi estis; simul vero, si indelebilem vim ingenii, si indefessum hominum discendi docendi studium, denique si vere divinum ipsius scientiae spiritum intuemur, summa nobis confidentia esse debet breviorem adhuc itineris partem VOBIS confectam esse, longiorem reliquam fore. Itaque novum iter ingressuros vos quartumque iam vitae saeculum felicissimis auspiciis inauguraturos optimis quibusque faustissimisque ominibus prosequimur laetisque precationibus optamus ut quaecunque bona fausta per tot saecula VOBIS obtigerunt eadem in posterum VOBIS ne desint et si fieri poterit etiam augeantur.

Fungendae vero gratulationis officium cum concilium nostrum duce rectore, viro magnificentissimo, mihi obtulerit cumque me sui animi interpretem esse iusserit, non hoc tantum a me postulari intellego ut vota pia ac sincera a nobis omnibus concepta nuncuparem, sed ut ex more antiquitus recepto commentatiunculam quoque adderem philologam. Nam Musis severioribus postquam Plato olim abiecto carminum lusu academiam suam consecravit seriis studiis profuturus et sacra profana divina humana omnia universa diligentia amplexurus, inde ab illo tempore omnes nostrae academiae Musarum sunt in tutela. Musarum igitur quoniam vos agitis diem festum, Musis quod donari fas esset etiam ego iussus sum offerre. Iussis parui animo libenti idem atque invito: nam ut longe mihi gratissimum erat quod in hac festissima occasione sacrificuli apud vos munus suscipere liceret, ita sentiebam nihil a me proferri posse quod aut deabus VESTRIS aut nomine VESTRO dignum videretur esse. Itaque feci quod potui: monumentum quoddam selegi litteratum quod paucis notis inlustratum VESTRIS oculis proponerem, hac maxime spe commotus fore ut peritiores invitarem ad ea perficienda et absolvenda quae ipse tantummodo incohare potui.

In veteris urbis Halaesae parietinis in septentrionali Siciliae ora olim sitae, ubi nunc aedes est S. Mariae de Palatio prope Tusam oppidulum, saeculo XVI tabula marmorea inventa est *fronte mutila, oblonga pedes tres digitos quattuor, lata pedes duo digitum unum, spissa digitos quattuor litterulis perbelle effigiatis pari magnitudine,* ut scribit Georgius Gualterus, Germanus Augustanus, inscriptionum Sicularum auctor potissimus, qui *inter Siciliae et obiacentium insularum et Bruttiorum antiquas tabulas* publici iuris fecit, editionis prioris n. 25,

posterioris (a. 1624) n. 182. Pervenit mox tabula in manus Caesaris Manni mercatoris Pisani, a quo emptam habuerunt Alphonsus Ruiz eiusque nepos Ioannes Ventimiglia Panormitani, sicuti narrat Thomas Fazellus Siculus *de rebus Siculis* (ed. Panormi 1558) I 9, 4. Postea cessit Octavio Caietano ex ordine Iesuitarum viro doctissimo inter collegii ornamenta adoptanda, ubi postquam diu latuisset sua demum aetate in lucem revocatam esse affirmat Gualterus. Nunc lapis videtur periisse. Sed antequam Gualterus ipse describeret idque diligentissime et accuratissime, extabat iam antiquius apographum, quod ex collectaneis Alphonsi Ruiz eius qui tabulam olim possederat petitum habent Aldus Manutius in schedis codicis Vaticani 5237 f. 244—248 et Vincentius Pinelli in schedis Ambrosianis cod. D 199 inf. f. 56′ sqq. Pinellianum exemplum, quod edidit Gruterus p. 210, quamquam in potioribus ut par est congruit cum Manutiano, tamen apographum Roisianum (sic enim licebit appellare, etsi ab ipso Alphonso Ruiz factum esse minime constat) minus accurate refert. Ex Grutero et Gualteri editione altera, quae satis vitiosa est, contaminatum exemplum edidit Franzius CIG 5594. Ego dabo Gualteri editionem priorem, quae quamvis litteris minusculis scripta longe praestat posteriori, paucissimisque locis illius lectionem ex Roisiano apographo corrigam. Titulus igitur hic est:

Pagina sinistra (I).

τὸν ὑποκακα]τὰ τοῦ [ὁ]ρίου ἐς τὸν ποταμὸν . . . . καὶ κατ]ὰ τοῦ ποταμοῦ ἔστε ποτὶ τὸν ῥοίσκον τὸν ὁρίζοντ]α τὸν β′ κλᾶρον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν ὁδὸν τ]ὰν ἐπὶ τὰν Ἰπύρραν· αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι] αὗται ἀκολουθέοντι τῷ κλάρῳ τούτῳ. τὸ . . . . . .] τὸ ὑπὸ τὸν ὀχετὸν ἄχρι ποτὶ τὰν κράναν τὰν Ἰπύρ]ραν οὐκ ἐργαξεῖται καὶ περίστασιν ἀφησεῖτα[ι πό(δας) ο′ παντᾷ, τὰ δὲ δένδρεα καρπεύσε[ται.

E] Ἀπὸ τοῦ τέ(ρμονος) τοῦ ποτὶ τᾷ κράνᾳ τᾷ Ἰπύρρᾳ κατὰ τᾶς ὁδοῦ ἐς τὰν ἐλαίαν τὰν κολοβάν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ τᾷ ὁδῷ ἐς τὸν ποταμὸν καὶ κατὰ τοῦ ποταμοῦ ἐς τὸ ὅριον τοῦ δ′ κλάρου καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ δ′ κλάρου· αἱ ἐλαῖαι αὗται ἐπιγεγραμμέναι ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ.

Γ Ἀπὸ τᾶς ὁδοῦ τᾶς Ξενίδος κατὰ τᾶς ὁδοῦ τᾶς παρὰ τὸ Μειλιχιεῖον ἐς τὸν ῥοίσκον καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν συμβολὰν τοῦ ῥοίσκου καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν ὁδὸν τὰν Ξενίδα· ἀκολουθεῖ τῷ κλάρῳ τούτῳ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκ τᾶς κράννας καὶ τοῦ βαλανείου τὸ ἀπορρέον.

ADNOTATIO I 2 ΤΟΥΟΡΙΟΥ R(uiz) ΤΟΥΡΙΟΥ G(ualterus) 1 et 2, qui tamen vertit *termini*. — 5 ἐς ταν ὁδὸν τὰν ἄγουσ]αν Franz, sed vetat spatii ratio; cf. infra v. 20 κατὰ τᾶς ὁδοῦ τᾶς ἀγούσας ἐπὶ τὸ Τάπανον et v. 24 τὰν ὁδὸν τὰν ἐπὶ τὸ Τάπανον. — 9 ΚΑΡΠΕΥΣΕΝ RG, καρπεύσει Franz; v. infra p. 18. — 10 Ε τέ(ρμων) recte Gualterus interpretatus est. — 19 ΒΑΛΑΝΕΙΟΥ deleta Ε littera Manutius, ΒΑΛΑΝΤΟΥ Pinellius. Itaque ΒΑΛΑΝΙΟΥ R.

I] Ἀπὸ τοῦ ὁρίου τοῦ [ϛ′] κλάρου κατὰ τᾶς ὁδοῦ τᾶς ἀγούσας ἐπὶ τὸ Τάπανον ἐς τὰν σκαφιὰν τὰν παρὰ τὰν Θεματεῖτιν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ παρὰ τὰν ἅλον ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὸν ῥοίσκον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν ὁδὸν τὰν ἐπὶ τὸ Τάπανον· αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὗται ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ.

Η Ἀπὸ τᾶς σκαφιᾶς τᾶς παρὰ τὰν Θεματεῖτιν ἐς τὸ ῥοείδιον καὶ κατὰ τοῦ ῥοειδίου ἐς τὸν ἀγριέλαιον, ἐν ᾧ τέ(ρμων), καὶ ἐπίστρεμμα ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων) καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὸν πέτρον, ἐν ᾧ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων) καὶ ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ποτὶ τᾷ Ἰπύρρᾳ καὶ κατὰ τᾶς ὁδοῦ ἔστε ποτὶ τὸν ῥοίσκον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἔστε ποτὶ τὰν ἐλαίαν τὰν ἐπιγεγραμμέναν καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ ζ′ κλάρου· αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὗται ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ.

Θ Ἀπὸ τοῦ ἀγριελαίου, ἐν ᾧ τέ(ρμων), καὶ κατὰ τοῦ ῥοειδίου ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν [τὰν] ἐπιγεγραμμέναν [Α] καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ παρὰ τοὺς πασσάλους καὶ κάτω ὡς αἱ σκαφιαὶ καὶ οἱ πάσσαλοι ἄχρι ἐς τὰν σκανὰν καὶ ἐκ τᾶς σκανᾶς ἂν τοῦ τοίχου καὶ ὡς [ὁ] τοῖχος ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ καὶ ἂν τᾶς ὁδοῦ ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ποτὶ τᾷ Ἰπύρρᾳ καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ η′ κλάρου· ἁ σκανὰ κοινὰ ποτὶ τὸν μισθωσάμενον τὸν ι′ κλᾶρον· αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὗται ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ.

Ι Ἀπὸ τᾶς σκανᾶς κάτω ὡς αἱ σκαφιαὶ καὶ οἱ πάσσαλοι ἐς τὸν τοῖχον καὶ ὡς ὁ τοῖχος ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὸν ποταμὸν καὶ κατὰ τοῦ ποταμοῦ ἔστε ποτὶ τὰν ὁδὸν τὰν ὁρίζουσαν τὸν ζ′ κλᾶρον καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ ζ′ καὶ θ′ κλάρου.

ΑΙ Ἀπὸ τοῦ ὁρίου τοῦ θ′ κλάρου κατὰ τᾶς ὁδοῦ τᾶς ἐπὶ τὸ Τάπανον ἐς τὰν γωνίαν τὰν ἀνωτάταν τοῦ περιτειχίσματος τοῦ Ταπάνου καὶ ἐκ τοῦ Ταπάνου κατὰ τᾶς ποθόδου τᾶς ἐς τὸ Ἀδρανιεῖον ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰς σιδέας καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων) καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ [αἱ] ὑπὸ τὸν τέρμονα

ADNOTATIO 20 ab sinistra Ϛ RG. — τοῦ ·I· κλάρου RG, quod correxi; nam non possunt septimae sortis fines ex suis ipsius finibus definiri, sed et possunt et debent definiri ex sortibus prioribus sive sexta seu quinta, cf. I 51, II 19. Itaque aut τοῦ ·Ϛ· κλάρου aut τοῦ ·Ε· κλάρου scribendum. — 32 ἂν τᾶς ὁδοῦ R. — 33 ΕΠΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΝΩΣΤΑΟΡΙΑ|ΤΟΥ G. ΕΠΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΝΚΑΙΩΣΙΔΟΥ|ΑΤΟΥ R. Gualterianae lectioni ex Roisiana addidi καί particulam, cf. ut unum afferam I 49. 50. — 34 sq. ΕΠΟΝ|ΤΕΙ G. — 36 ΚΑΙ omisit R. — 37 [τὰν] excidit lapidarii culpa. — 38 ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΝΤΕΚΑΙ R. — 40 [ὁ] omisit lapidarius. — 51 ΤΟΥ ·I· ΚΛΑΡΟΥ R. — 55 [αἱ] omisit lapidarius.

ἐς τὸ ῥοείδιον καὶ ἂν τοῦ ῥοειδίου ἐς τὰν σκαφιὰν τὰν παρὰ τὰν Θεματεῖτιν καὶ ἐς τὰν ὁδὸν τὰν ἄγουσαν ἐπὶ τὸ Τάπανον· αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὖται ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ.

ΒΙ Ἀπὸ τοῦ Ταπάνου κατὰ τᾶς ὁδοῦ ἔστε ποτὶ τὸ ῥοείδιον καὶ κατὰ τοῦ ῥοειδίου ἔστε ποτὶ τὸν πάσσαλον τὸν παρὰ τὸ ῥοείδιον καὶ ὡς οἱ πάσσαλοι ἔστε ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ αι´ κλάρου καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ αι´ κλάρου· παρεξεῖ πόθοδον ἐξάπεδον ποτὶ τὸ Ἀδρανιεῖον καὶ κ´ πό(δας) ἀποστασεῖ ἀπὸ τοῦ ναοῦ παντᾷ.

ΓΙ Ἀπὸ τᾶς σκαφιᾶς τᾶς παρὰ τὸν Ὀπικανὸν κατὰ τοῦ Ὀπικανοῦ ἐς τὸν ποταμὸν καὶ κατὰ τοῦ ποταμοῦ ἔστε κατὰ τὸν τέ(ρμονα) τὸν ἐν τῷ κλαρίῳ καὶ ἂν τῶν τε(ρμόνων) ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ποτὶ τᾷ συκέᾳ τὸν ὑπὸ τὰν ὁδὸν καὶ ὡς ἁ ὁδὸς ἔστε ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ γι´ κλάρου τοῦ μεγάλου δρυμοῦ καὶ ὡς τὸ ὅριον τοῦ γι´ κλάρου τοῦ μεγάλου δρυμοῦ.

Ἐλαιοκόμιον δίκλαρον.

Περίστασις τῷ ἐλαιοκομίῳ εἴ τίς ἐστι ἱερά, ἕπεται· οὐ ποιησοῦντι δὲ βυρσοδέψιον οὐδὲ μαγειρικὸν οἱ μισθωσάμενοι τὸ ἐλαιοκόμιον.

Pagina dextra (II).

ου καὶ
ν τὰν ὑπὸ τὸ
ἐς τὸν τέρμονα
τὸ ὅρ]ιον τοῦ θ´ κλάρου καὶ
ου κατὰ τοῦ ῥόου τοῦ Ὀπικανοῦ
κ]αὶ ἐς τὸν τέ(ρμονα) καὶ ἐς τὰν σκαφιὰν τὰν
παρὰ . . . . κ]αὶ ὡς ὁ τέρμων καὶ αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ] ἐς τὸ ὅριον τοῦ ι´ κλάρου καὶ ἂν τοῦ ὁρίου τοῦ ι´ [κλάρ]ου ἔστε ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ Πικάττου καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ Πικάττου· τούτῳ τῷ κλάρῳ ἕπονται αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὖται.

ΒΙ Ἀπὸ τοῦ τέρμονος τοῦ ὑπὸ τὰν Ἀσπίδα ἐς τὸν πλάταμον, εἰ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ὁδὸν τὰν ἀπὸ [τοῦ] Ταπάνου καὶ ἂν τᾶς ὁδοῦ ἔστε ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ ζ´ κλάρου καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ ζ´ κλάρου ἐς τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμων ἄχρι κατὰ τὸν πλάταμον· τούτῳ τῷ κλάρῳ ἕπονται αἱ ἐλαῖαι αὖται αἱ ἐπιγεγραμμέναι.

ΓΙ Ἀπὸ τοῦ ὁρίου τοῦ αι´ κλάρου κατὰ τοῦ Ὀπικανοῦ ἐς τὰν σκαφιὰν

ADNOTATIO 61 . . ΟΙ ΠΑΣΣΑΛΟΙ R. — 62 . ΟΥ ΑΙΚΛΑΡΟΥ R. — 64 numerale ΓΙ omisit R. — 66 ΕΝΤΩΚΛΑΡΩ R; reliqui Gualteri lectionem quamvis mihi non intellectam. Sed ἐν τῷ κλάρῳ positus terminus qualis sit non magis exputo. De termino epipedonico, ut hic possit recte appellari ὁ ἐν τῷ κλάρῳ τέρμων, tamen nequit cogitari, quoniam extremitates agrorum describuntur. — 69 legebat Franz ἐλαιοκόμιον δι´ κλᾶρον, v. infra p. 12.

II 8 sq. ΤΟΥ· | ΤΟΥ G. ΤΟΥ· Ι· | ΤΟΥ R. τοῦ ι´ [κλά|ρ]ου Franz. — 15 [τοῦ] omisit lapidarius.

τὰν παρὰ τὸν Ὀπικανὸν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ αἱ ὑπὸ τὸν τέρμονα ἐς τὰν ὁδὸν τὰν ἄγουσαν ἐπὶ τὸ Τάπανον καὶ ἂν τᾶς ὁδοῦ ἔστε ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ βι´ κλάρου καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ βι´ κλάρου.

Τοῖς παρὰ τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον δαιθμοὺς [ζ´.

A Ἀπὸ τοῦ ῥόου τοῦ Ἀλαίσου ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ἐν τῷ πέτρῳ τὸν παρὰ τὰς πυάλους καὶ ἂν τοῦ ῥάχ̣α ἐς τὸν πέτρον, ἐν ᾧ τέ(ρμων), καὶ ἐς τὰν ὁδὸν καὶ ἂν τᾶς ὁδοῦ ἐς τὸν ῥοίσκον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν σκαφιὰν τὰν ὑπὸ τῷ τέρμονι καὶ ὡς ὁ τέρμων ὁ ὑπὲρ τᾶς σκαφιᾶς ἔστε ποτὶ τὰν ἅλον καὶ ὑπὲρ τᾶς ἅλου ὡς ὁ τέρμων ὑπὲρ τὰν σκαφιὰν καὶ ἐς τὰν σκαφιὰν τὰν παρὰ τὰν ἐλαίαν καὶ ὑπὲρ τᾶς ἐλαίας ὡς ὁ τρίβος καὶ αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἐλαίαν τὰν ἐπιγεγραμμέναν [Α̅] καὶ ἐκ τὰς ἐλαίας ὡς ὁ τέρμων ὑπὲρ τὰν ἐλαίαν ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ἄνω ἐς τὰς ῥάμνους καὶ ὡς αἱ ῥάμνοι περὶ τὸν τέρμονα καὶ ἐς τὰν σκαφιὰν καὶ ἄνω ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ἐν τῷ λίθῳ καὶ ὡς ὁ τέρμων ὑπὸ τὰν ἅλον καὶ ἐς τὸν τέ(ρμονα) τὸν ἐν τῷ πύργῳ καὶ ὑπὸ τὸν πύργον ἐς τὸν ῥοίσκον τὸν ὑπὸ τὰν ῥῖνα τὰν ἐν τῷ πύργῳ, εἶ τέ(ρμων), καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον καὶ ἂν τοῦ Ἀλαίσου ἐς τὰν ἀρχὰν τᾶς περιωρεσίας· ἐν τούτῳ Ἀγρίου.

B Ἀπὸ τᾶς ῥινὸς τᾶς ἐν τῷ πύργῳ, εἶ τέ(ρμων), ὑπὸ τὸν πύργον ἔστε ποτὶ τὸν τέ(ρμονα) τὸν ἐν τῷ πύργῳ καὶ ἀπὸ τοῦ τέ(ρμονος) κάτω ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἀχράδα τὰν ἐπιγεγραμμέναν [Α̅] καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἐλαίαν τὰν ἐπιγεγραμμέναν [Α̅] καὶ ἐς τὰν συκέαν τὰν ἐπιγεγραμμέναν [Α̅] καὶ ὡς ⟨τ⟩αὶ σκαφιαὶ ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμων ἐς τὸν ῥοίσκον καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον καὶ ἂν τοῦ Ἀλαίσου ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ α´ κλάρου· ἐν τούτῳ Ἐλαφέος.

Γ Ἀπὸ τοῦ τέ(ρμονος) τοῦ ἐν τῷ πύργῳ τοῦ ὁρίζοντος τὸν β´ κλᾶρον ἔστε ποτὶ τὸν ῥοίσκον τὸν ἐκ τοῦ διαπαύματος ῥέοντα καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν συμβολὰν τοῦ ῥοειδίου καὶ ἂν τοῦ ῥοειδίου ἐς τὸν τέρμονα καὶ ὡς τὰ ὅρια τοῦ β´ κλάρου· ἐν τούτῳ Ἐλαφέος.

Δ Ἀπὸ τοῦ ῥοίσκου τοῦ ἐκ τοῦ διαπαύματος ὑπὸ τὸν πύργον ἔστε ποτὶ τὸν ῥοίσκον τὸν ῥέοντα ἐκ τᾶς ῥινὸς τᾶς κατὰ τὸ ἱερόν, εἶ τὰ χ̣άλκια, κατὰ τὸ μαγειρικὸν καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα, εἶ σκαφιά, καὶ ὡς ὁ τέρμων ἄχρι ποτὶ τὸν ῥοίσκον τὸν ῥέοντα ἐκ τοῦ διαπαύματος τὸν ὁρίζοντα τὸν γ´ κλᾶρον.

E Ἀπὸ τοῦ τέρμονος, εἶ ἁ σκαφιά, κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὰν

ADNOTATIO 23 ΔΕΘΜΟΥΣ |||| R ΔΑΙΘΜΟΥΣ ||| G. v. infra p. 11. — 43 ΤΑΙ error lapidarii. — 48 init. .... ΟΝΤΟΝΕΚ R. — 49 .... ΟΥΕΣΤΑΝ R. — 50 .... ΚΟΥΕΣΤΟΝ ῥοίσκου falsum esse patet. — 54 fortasse κατὰ τὸ ἱερὸν [τοῦ Ἀπόλλωνος], cf. v. 63 et infra p. 17. — 58 ΤΕΡΜΟΝΟΣ · Ε · ΤΑ ΣΚΑΦΙΑ R.

σκαφιὰν καὶ ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον καὶ ἂν τοῦ Ἀλαίσου ἔστε ἐς τὸν ῥοίσκον τὸν ὁρίζοντα τὸν β′ κλᾶρον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἔστε ἐς τὸν τέρμονα τὸν ὁρίζοντα τὸν δ′ κλᾶρον.

Γ̲ Ἀπὸ τᾶς ῥινὸς τᾶς κατὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τᾶς κατὰ τὰ χάλκια τὰ ποτὶ τῷ μαγειρικῷ ὑπὸ τὸν πύργον ἔστε ποτὶ τὰν ῥεῖνα τὰν πελαστάταν ποτὶ τὸ τυρρίδιον καὶ κατὰ τοῦ ῥάχα ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ἅλον καὶ ἐς τὸν τέ(ρμονα) καὶ κάτω ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμων καὶ αἱ σκαφιαὶ ἐς τὸν β′ ῥοίσκον καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον καὶ ἂν τοῦ Ἀλαίσου ἐς τὸ ὅριον τοῦ ε′ κλάρου.

Ι̲ Ἀπὸ τοῦ πύργου κατὰ τοῦ βαθέος ῥόου ἐς τὸν ῥοῦν τὸν Ἄλαισον καὶ ἂν τοῦ Ἀλαίσου ἄχρι ποτὶ τὸν α′ ῥοίσκον καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἄχρι ποτὶ τὸν πύργον· ἐν τούτῳ Ἡρακλείδα Ἀπολλωνίου καὶ Φιλοξένου Μενίσκου.

Σκυρεώνοις δαιθμοὺς . . .

Α Ἀπὸ τᾶς ῥεινὸς καθὼς ὁ πύργος ἄχρι ποτὶ τὰν ῥεῖνα τὰν ἐχομέν[α]ν τοῦ β′ τυρριδίου καὶ ἀπὸ τᾶς ῥεινὸς κατὰ τοῦ ῥοειδίου ἄχρι ποτὶ τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμων ὑπὲρ τᾶς ἅλου καὶ ἂν τοῦ ῥάχα ὡς αἱ σκαφιαὶ ἐς τὰν ῥεῖνα· ἐν τούτῳ Ἱστιείου Θέστωνος καὶ Πελαγίου.

Β Ἀπὸ τοῦ τέρμονος κατὰ τοῦ ῥοίσκου ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα, εἶ σκαφιά, καὶ τῷ τέρμονι ἔστε ποτὶ τὸ ῥοείδιον τὸ ῥέον ἀνὰ μέσον τῶν γαεώνων καὶ ἂν τοῦ ῥοειδίου ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμ[ω]ν ἐς τὸ ῥοείδιον.

Γ Ἀπὸ τοῦ τέρμονος κατὰ τοῦ ῥοειδίου τοῦ ἀνὰ μέσον τῶν γαεώνων ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα, εἶ σκαφιά, καὶ ὡς ὁ τέρμων καὶ αἱ σκαφιαὶ ἂν τοῦ ῥάχα ἐς τὸν τέ(ρμονα) καὶ ὑπὲρ τᾶς ἅλου καὶ ἐς τὸν τέρμονα καὶ ὡς ὁ τέρμων ἄχρι ποτὶ τὸν ῥοίσκον.

ADNOTATIO 65 τὰν ῥεῖνα τὰν Πελάστα τὰν ποτὶ κτλ′. Franz. — 75 ΔΑΙΘΜΟΥΣ · ΙΙΙ numerus incertus, v. infra p. 11. — 76 an κάτω ὡς ὁ πύργος? — 77 ΕΧΟΜΕΝΟΝ RG. — 78 fortasse ὁ τέρμων [ὁ] ὑπὲρ τᾶς ἅλου, cf. II 28. — 82 τῷ τέρμονι vix integra verba. — 84 ΤΕΡΜΟΝ RG.

Duae igitur fuerunt in eadem tabula iuxta inscriptae paginae, mutilata deinceps utraque a parte sinistra superiore; quod quomodo factum sit, docet Manutii nota ad alteram paginam adscripta: *pagina posterior decem versibus altior.* Periit igitur fragmentum triangulum, cuius linea maior pertinet inde a versu nono ad versum primum paginae sinistrae indeque a versu decimo (ubi numerale desideratur) ad versum primum paginae dextrae. Iam vero cum dextra pagina non decem sed septendecim versibus sit amplior quam sinistra (habet enim haec versus LXXI, illa LXXXVIII), sequitur aut angustiorem fuisse aut propius ad imum marginem porrectam in dextra pagina scripturam. Qui superne fractum lapidem testatur

Gualterus, eum si ne inferne quidem integer fuisset hoc expressis verbis additurum fuisse existimo, nec sane ut aliter statuam movet me infimorum versuum in utraque pagina integritas. Itaque quidquid inter extremam paginam sinistram et principium dextrae intercidit, omnia haec in dextra scripta fuisse necessario colligitur. Incipit dextra ab undecimo fere capite, decem ergo capita periere; incipit sinistra ab quarto fere capite, tria ergo capita periere. Quae quamvis longa finxeris non sufficient tamen ad undecim capitum spatium adaequandum. Itaque aut satis amplam conicias praefationem praecessisse, in qua magistratuum nomina aliaque haud pauca de argumento universo scripta fuerint aut novam quandam capitum seriem. Alteram rationem ut probemus persuadet fere nota apud Manutium servata: *tabulae marmoreae effossae apud ecclesiam B. Mariae de Palatiis prope Tusam,* ubi quamquam pergitur *quae nunc est apud Alfonsum Ruitium,* tamen additur *partis posterioris pagina prior.* His igitur si quidquam est fidei habendum, duae olim fuerunt tabulae, altera ea quae superest altera ita fortasse etiam tunc detrita et male habita ut ne describi quidem posset. Itaque longe maiorem quam credebatur iacturam videmur fecisse, id quod ex ipsa tabula superstite intellegi poterat. Prioris enim paginae sors decima tertia ita describitur ut fines eius pertinere dicantur ποτὶ τὸ ὅριον τοῦ γι´ κλάρου τοῦ μεγάλου δρυμοῦ καὶ ὡς τὸ ὅριον τοῦ γι´ κλάρου τοῦ μεγάλου δρυμοῦ. Fuit sane magna silva quae in tredecim vel plures etiam sortes dividi poterat. Huius igitur silvae descriptionem, quam in titulo superstite frustra quaerimus, necessarium est fuisse in deperdita tabula priore.

Describuntur agri Halaesini in quattuor, quantum quidem superest, partes divisi, e quibus postrema (II 75—88) et tertia (II 23—74) integrae, reliquae duae (I 1—71, II 1—22) mutilae sunt ab initio, ut etiam indices quibus inscriptae fuere perierint. Servantur vero indices tertiae partis τοῖς παρὰ τὸν ῥοῦν τὸν Ἅλαισον δαιθμοὺς ||| et quartae Σκυρεώνοις δαιθμοὺς |||. Illi ut homines sunt qui iuxta Halaesum flumen incolunt, ita Scyreoni ab regione vel tribu vel pago aliquo nomen videntur duxisse. His igitur, id quod docent dativi, certus δαιθμῶν numerus datur vel destinatur, et Halaesi quidem accolis septem, Scyreonis tres portiones adnumerantur, quae tamen portiones ubi describuntur non δαιθμοί sed κλᾶροι vocantur. Quod discrimen quo spectet facile intellegitur. Apparet enim ex compluribus tituli locis, quibus ὁ μισθωσάμενος τὸν κλᾶρον vel οἱ μισθωσάμενοι commemorantur (I 43. 71), de elocandis agris agi, ut tamen non cuivis quem libuisset agrum liceret conducere, sed certae quaedam agri universi partes certis quibusdam tribubus pagisve reservarentur, eae nimirum quae ipsorum agris maxime essent vicini. Quod prudenter videtur institutum, ne procul habitantes agris remotis visendis colendisve temporis facerent iacturam neve alienos fines sive ingredientes sive transeuntes lites moverent. Eae igitur agri portiones, quas ipso iure licebat quibusque conducere, raro vocabulo δαιθμοί, ea vero particula, quae cuique sorte obtigisset, communi dicendi genere κλᾶρος s. *sors* vocabatur. Hoc si verum est, patet eundem numerum esse debere δαιθμῶν atque κλάρων, corrigendumque I 75, quamvis litterarum vestigia aliud indicare videantur, δαιθμοὺς ζ´. Minus certa est emendatio II 75 Σκυρεώνοις δαιθμοὺς γ´, quoniam fieri potest ut in tertia aliqua tabula deperdita Scyreonorum sortes continuatae fuerint.

Agros describi locandos necdum locatos inde perspicitur quod nomina eorum qui conduxerint non adiciuntur nec minus clarum est ipsius civitatis auctoritate agrorum locandorum tabulam propositam esse. Medii inter publicos agros privati siti fuerunt, velut

II 38 ἐν τούτῳ (scilicet τῷ κλάρῳ) Ἀγρίου, 46 et 51 ἐν τούτῳ Ἐλαφέος, 73 ἐν τούτῳ Ἡρακλείδα Ἀπολλωνίου καὶ Φιλοξένου Μενίσκου, 80 ἐν τούτῳ Ἱστιείου Θέστωνος καὶ Πελαγίου, qui dubitari potest ideone nominati sint ut exciperentur ex agris publice locandis an quod civitas ad iungendos agri publici fines suis impensis coemerit: mihi vero alterum longe videtur probabilius.

Demonstrato opus non est magnam tabulae Halaesinae cum tabulis Heracleensibus esse similitudinem. Sed pleniores illas fortuna nobis commisit, ut quae praeter agrorum terminatorum descriptionem quamvis aliter institutam contineant locationis legem (συνθήκαν) addita multa si quis contra fecisset. Et sane cum etiam hanc ob causam tabulae publice fuerint propositae ut si cui libuisset conducere compertum is haberet qualem agrum conducturus esset, necessarium erat addere quibus condicionibus quove pretio singuli agri constarent. Iam vero singulas quasdam locandi condiciones in tabula Halaesina singulis capitibus subiectas videmus, velut de iure aquarum (I 18) et olearum (I 24 al.), de agro sacro non arando (I 63) et quae sunt similia; unde apparet has condiciones in peculiari tabulae parte perscriptas non fuisse neque omnino in universum quae valerent condiciones constitutas fuisse. Pretia vero (nam certum est apud Siculos mercedem conductoriam non una decuma contineri) quoniam singulis agris non adscripta sunt, patet certum suum cuique agro pretium fuisse idque fortasse in praescriptis quae perierunt notatum; porro si omnes eodem aestimabantur, sequitur omnes si minus eiusdem amplitudinis — neque enim duo iugera agri silvestris eodem esse possunt pretio quo totidem iugera agri culti et fertilis —, at eiusdem bonitatis omnes fuisse omnesque pro aestimio ubertatis ut aiunt divisos. Quod etiam alia inita ratione intellegitur. In prima enim capitum serie post sortem decimam tertiam sequitur hoc ΕΛΑΙΟΚΟΜΙΟΝΔΙΚΛΑΡΟΝ. Interpretatus olim est Gualterus ἐλαιοκόμιον *olivetum*, quod cum non satis aptum sibi videretur (hoc enim esse potius ἐλαιῶνα) Maffeius locum intellegi voluit eum quo oleum elaboraretur idque Franzio persuasit. Mihi Gualterus videtur verum invenisse, nisi quod ἐλαιοκόμιον non quemvis locum esse putaverim ubi sponte sua nascuntur crescuntque oleae, sed uti νοσοκόμιον est valetudinarium s. aedes publicae ubi morbis curandis opera datur, ut δενδροκόμοι et φυτοκόμοι (s. φυτηκόμοι) ei dicuntur qui arte adhibita arbores plantasve educunt, ita ἐλαιοκόμιον is locus est quo arte et ratione educuntur et coluntur oleae i. e. *seminarium oleaginum*. Hoc igitur seminario effici voluit Franzius quartam et decimam sortem: legit enim ἐλαιοκόμιον δι´ κλᾶρον. Vt taceam de accusativo (reliqua enim numeralia Α Β Γ e. q. s. aperte explicanda sunt πρῶτος δεύτερος τρίτος scil. κλᾶρος), maxime obstant huic interpretationi primum quod verba ΕΛΑΙΟΚΟΜΙΟΝΔΙΚΛΑΡΟΝ litteris maioribus et quae ab versus principio aliquantulum remotae sint exarata traduntur, deinde vero quod ordo verborum plane non intellegitur cur tantopere ab solito ordine discesserit: scribi enim debebat ΔΙ κλᾶρον (vel potius κλᾶρος) ἐλαιοκόμιον. Itaque pro explorato habeo legendum esse ἐλαιοκόμιον δίκλαρον i. e. seminarium oleaginum quod duarum sortium spatium occupat. Igitur illuc ut redeam, si seminarium illud duabus sortibus aequale dici poterat ita ut quanti esset quivis scire deberet, apparet singulas sortes certi pretii fuisse omnesque eiusdem fere praestantiae et ubertatis.

Qui agrum conducturi tabulam adibant eis non poterat satis esse ut qui fines essent agrorum legerent: multo magis scire intererat solum pingue esset an exile, arboribus aptum an frumento, rivis fossisque irrigatum an saxosum vel silvestre. Itaque nisi forte singulos putaveris tabula in foro perlecta urbe egressos agros eos qui cum descriptos legerent maxime

sibi placuissent ipsos visisse, conicias oportet iuxta collocatam fuisse aere incisam formam agrorum. Formae illae quales apud Romanos fuerint optime exposuit Rudorffius in Gromaticorum veterum editione Berolinensi vol. II 405 sqq. Adscribam ex antiqua agrorum forma petitam descriptionem, quae reperitur in *casis litterarum* p. 320, 21 ed. Lachm.: *casa per zeta nomen habens fines grandes atque compactiles, fines spatiosos non habet, sub se campum, super se montem. inter montem et campum alveus est qui alveus finem facit. in sinistra parte pratum et sub prato Flaminia, quae via observat omnes fines — super se autem iugalis finis excurrit, et ipse finis sub se aquam vivam significat, et ipsa aqua viva omni tempore non decurrit. de una parte sacra paganorum sunt.* Vides quam accurate singula in formis delineata fuerint; cf. praeterea figuras delineatas in tabb. 23 et 24. Ad hanc formam ni fallor remittunt legentes ipsae litterae singulis capitibus praefixae.

At haec Romanae sunt aetatis Romanumque spectant limitandi usum. Ego vero, ut hoc concedam*), illud ipsum negabo tabulam Halaesinam romana aetate esse antiquiorem, etiamsi Rudorffius Franzii (non Boeckhii, ut ille scribit) iudicio inconsultius iacto confisus aliter statuit. Nam ut omittam quod cum causa idonea nulla praesto sit potest casu factum esse, ut per totam Siciliam praeter paucos titulos antiquissimos nulla inscriptio inventa sit medio saeculo tertio antiquior, hoc unum ad tituli aetatem rectius definiendam sufficit, quod dativis numeri singularis nusquam iota q. d. mutum additum legitur. Quae littera nisi lapidarii culpa ne in privatis quidem titulis ante primum a. Chr. n. saeculum ubique omitti poterat; et huic quidem aetati conveniunt etiam vitia orthographica velut Θεματεῖτις, ῥεινός iuxta et ῥινός, ῥοείδιον et fortasse βαλανίου, cf. var. lect. ad I 19. Inprimis vero ipsa ratio, qua Halaesinorum territorium significanter, ut loqui solent, descriptum est, manifesta romani moris vestigia tenet. Ait Hyginus *de condicionibus agrorum* p. 114 ed. L: *invenimus saepe in publicis instrumentis significanter inscripta territoria ita ut* EX COLLICVLO QVI APPELLATVR ILLE, AD FLVMEN ILLVD ET SVPER FLVMEN ILLVD AD RIVVM ILLVM *aut* VIAM ILLAM, ET PER VIAM ILLAM AD INFIMA MONTIS ILLIVS, QVI LOCVS APPELLATVR ILLE, ET INDE PER IVGVM MONTIS ILLIVS IN SVMMVM, ET SVPER SVMMVM MONTIS PER DIVERGIA AQVAE AD LOCVM QVI APPELLATVR ILLE, ET INDE DEORSVM VERSVS AD LOCVM ILLVM, ET INDE AD COMPITVM ILLIVS, ET INDE PER MONVMENTVM ILLIVS AD *locum unde primum coepit scriptura esse.* Et in his quidem nihil novi nihilque singulare; nam plane eodem modo, ut unum afferam, in titulo Cretensi (CIG 2554), Latiorum et Olontiorum fines describuntur: ut pauca inde depromam inde a v. 104 legitur ὅροι τᾶς Λατίων πόλεως· ἀπὸ θαλάσσας ἆμ ποταμὸν τὸν . . . . καὶ ἐπὶ τὼς ἐ . . . ἐπὶ τὰν ὑππάγραν κἠς τὸν Βέγκασον καὶ ἀπὸ τᾶς ἐπιτολᾶς τῶ Βεγκάσω ἐκ τᾶς πέτρας περιαμπέτιξ ἐς τὰν ἄλλαν πέτραν ἆι ἁ ταινία παρ' ἀτέρω καὶ τούτω ἐπὶ τὰς κεφαλὰς

*) ita tamen concedo ut simul moneam de graeco usu nihil fere compertum nos habere. Graecorum γεωνόμοι vel γεωνόμαι adeo ignoti erant ut antequam titulus de colonia Bream deducenda inveniretur (CIA I 31) nomen eorum apud solos lexicographos extaret; cf. H. Sauppe *Ber. d. saechs. Ges. d. W.* 1853 p. 38. Eo minus omittendum erit Heronis Alexandrini περὶ διόπτρας c. 25 ed. Vincent *(Notices et Extraits des mss. de la bibl. impér.* XIX 2 p. 268), ubi proponitur ut abolitis plerisque agri alicuius terminis ex duobus (vel tribus) qui supersint reliqui restituantur adscita forma (ὑπάρχοντος τοῦ μιμήματος). Vocabulum μίμημα Hero quamvis rerum Romanarum minime incuriosus (cf. Cantor *die römischen Agrimensoren* 1875 p. 76) vix e fonte hausit Romano. Romani enim appellant formam, perticam, centuriationem, metationem, limitationem, cancellationem, typum, scariphum vel, si exemplum intellegitur in sanctuarium principatus relatum, etiam mappam linteam, nunquam vero *imitationem* (μίμημα).

τᾶν ναπᾶν e. q. s., nec poterant sane alia uti ratione. Tamen verendum ad accuratam finitionem ne desit aliquid: nam quo vergant fines hoc quidem dicitur, non tamen qua regione quave via sese porrigant; velut si nihil aliud praeciperetur nisi hoc *ex colliculo ad flumen et super flumen ad rivum* additis colliculi fluminis rivi nominibus, multis hercle controversiis locus daretur, quandoquidem ex colliculo ad flumen multae viae fieri poterat ut paterent. Itaque aliter in re simili versabantur Romani, quorum egregium terminationis monumentum extat *sententia Q. M. Minuciorum* (CIL I 199), qua de controversiis inter Genuates et Viturios (a. Chr. n. 67, ab u. c. 687) cognoverunt*). Adscribam quae e re videntur esse inde a v. 7: *Langatium fineis agri privati: ab rivo infimo qui oritur ab fontei in Mannicelo ad flovium Edem; ibi terminus stat. inde flovio suso vorsum in flovium Lemurim; inde flovio Lemuri susum usque ad rivom Comberane(am). inde rivo Comberanea susum usque ad comvalem Caeptiemam; ibi termina duo stant circum viam Postumiam. ex eis terminis recta regione in rivo Vendupale. ex rivo Vindupale in flovium Neviascam. inde dorsum fluio Neviasca in flovium Procoberam. Inde flovio Procoberam deorsum usque ad rivom Vinelascam infumum; ibei terminus stat. Inde sursum rivo recto Vinelesca; ibei terminus stat propter viam Postumiam. Inde alter trans viam Postumiam terminus stat. ex eo termino, quei stat trans viam Postumiam, recta regione in fontem in Manicelum. inde deorsum rivo, quei oritur ab fonte en Manicelo ad terminum, quei stat ad flovium Edem.* Rediit igitur descriptio ad locum, ut cum Hygino loquar, unde primum coepit scriptura esse, vel, ut tabula Halaesina loquitur, ἐς τὰν ἀρχὰν τᾶς περιωρεσίας.**) Haec si ad verbum graece verteris, simillima erunt tabulae Halaesinae: ἀπὸ τοῦ ῥοίσκου τοῦ ῥέοντος ἐκ τᾶς κράνας τᾶς (in Manicelo) ἐς τὸν ποταμὸν (Edem), εἶ τέρμων, καὶ ἂν τοῦ ποταμοῦ ἔστε ποτὶ τὸν ποταμὸν (Lemurim) καὶ ἂν τοῦ ποταμοῦ ἄχρι ποτὶ τὸν ῥοίσκον (Comberaneam) καὶ ἂν τοῦ ῥοίσκου ἄχρι ποτὶ τὰν συνάγκειαν (Caeptiemam), εἶ δύο τέρμονες οἱ κατὰ τὰν ὁδὸν τὰν Ποστουμίαν, καὶ ἀπὸ τῶν τερμόνων (recta regione) ἐς τὸν ῥοίσκον (Vendupale) καὶ ἀπὸ τοῦ ῥοίσκου ἐς τὸν ποταμὸν (Neviascam) καὶ κατὰ τοῦ ποταμοῦ ἐς τὸν ποταμὸν (Procoberam) καὶ κατὰ τοῦ ποταμοῦ ἄχρι ποτὶ τὸν ῥοίσκον (Vinelascam), εἶ τέρμων, καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου, ὡς ὁ τέρμων ὁ ποτὶ τᾷ ὁδῷ τᾷ Ποστουμίᾳ καὶ ὡς ὁ τέρμων ὁ ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ τᾶς Ποστουμίας, καὶ ἀπὸ τοῦ τέρμονος τοῦ ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ (recta regione) ἐς τὰν κράναν (in Manicelum) καὶ κατὰ τοῦ ῥοίσκου τοῦ ῥέοντος ἐκ τᾶς κράνας ἔστε ποτὶ τὸν τέρμονα τὸν ποτὶ τῷ ποταμῷ (ad flovium Edem).

Apparet Minuciorum sententiam et tabulam Halaesinam ea ipsa re inter se esse simillimas, qua utraque ab titulo Cretensi maxime recedunt, usu terminorum. Termini vero quam noti fuerint Graecis non attinet profecto exponere: memorabo tria terminorum genera ex tabulis Heracleensium ὅρους terminos epidecticales, ἀντόρους eos qui illis ex adverso positi sunt, μεσσόρους denique medios sive epipedonicos; memorabo etiam titulum Cretensem a Bergmanno editum (*de inscriptione Cretensi inedita* Berolini 1860), qui omnium proxime abest ab Minuciorum sententia vel Halaesinorum tabula***):

---

*) similis monumenti de agro Cremonensi dividendo frustulum videtur superesse apud Servium ad Verg. bucol. I 48 ‚*a monte usque ad lacum et inde usque ad arborem* quandam fuerat Arrio donata possesio‘.

**) cf. II 38; non potest aliud significare vocabulum περιωρεσία nisi ambitum territorii vel descriptionem per circuitum factam, quamquam exspectarem περιώρισις vel περιωρισία. Vocabulum περιωρεσία si recte traditum est derivandum erit ab stirpe ορες —-sive ωρες —, neque mihi improbabile videtur idem olim vocabulum fuisse ὄρος *mons* et ὅρος (cf. ἄντορος) *finis*, cf. Rudorff Gromat. vet. I 256.

***) non utor ipsa Bergmanni editione sed qualem Cauerus repetiit *delect.* n. 42.

. . . . ἀπὸ θαλάθθας ἐς Πορω . . . .
. . . . κῶνος δηράδα καὶ κατὰ τ . . .
. . . λιειον ἐς τὰν δηράδα κἠς κ[εφαλάς] . . . .
τὸ] Ταντάλιον, ἇ[ι] οἱ ὤροι ἐντί, ἐ[ς . . . .
κα]τὰ τὸν ῥόον ἐς τὸν Μιξαυ . . . .
[ἇ]ι οἱ ὤροι κίαται κτλ'.

Nihil potest sane cogitari magis simile: ἇι οἱ ὤροι κίαται dicunt Cretenses, εἶ ὁ τέρμων Halaesini, *ibi terminus stat* Romani. Attamen unum est quo discrepent ab Cretensibus Halaesini, non re sed vocabulo. Nam lapides finales, quos omnes omnium temporum Graeci ὅρους nominabant, Halaesini τέρμονας vocant nomine in hac re plane inusitato. Significant quidem interdum idque apud poetas τέρμονες et τέρματα i. q. fines, nunquam tamen lapides finales, atque ne grammatici quidem aliter interpretantur, e quibus Hesychius haec habet: τέρμονες· τέλη, φραγμοί, ὅρια, τέρματα. Propria vocabuli vis quae sit docent vascula illa Neapolitana, in quibus meta innixis iuvenibus picta est eique inscriptum ΤΕΡΜΩΝ. Itaque τέρμονες illi non ex peculiari quodam Halaesinorum usu dicendi, quae est sententia Amedei Peyron (*la prima tavola di Eraclea* 1869 p. 49), sed ex Romanorum terminis sive terminibus originem duxisse censendi sunt; ὅρια autem illis fines sunt, ὅρος vocabulum omnino non legitur.

Itaque quod supra orthographico argumento demonstrari dixeram nunc alia ratione confirmatum videmus: titulus Halaesinus scriptus est non sine Romani moris cognitione i. e. post stabilitam in Sicilia Romanorum dominationem. Nec tamen sic hoc intellegi volo tamquam populi Romani auctoritate terminati sint agri publici Halaesinorum, qui pro libertate et immunitate civitatis etiam agros liberos et immunes arabant (Cic. Verr. II 69, 166), nec ad Augusti tempora, quo imperante cum reliquis Siculis etiam Halaesini ad civitatem Romanam pervenerunt (cf. Mommsen CIL X p. 768, quem testem ex ineditis adhuc plagulis citare licet), referam inscriptionem aliquanto vetustiorem, sed rogatu potius civitatis suspicor, cum controversia de agris locandis orta esset, peritos agri mensores Roma missos esse, qui territorii Halaesini de integro terminandi et dividendi curam susciperent. Qua re non magis de iure vel dignitate sua discedere sibi videri poterant quam cum Ciceronis aetate controversiis inter eos ortis de senatu cooptando leges ab senatu Romano peterent. Tum ex senatus consulto narrat ipse Cicero (Verr. II 49, 122) C. Claudium Appi f. Pulchrum leges Halaesinis dedisse multaque sanxisse de aetate hominum, ne qui minor xxx annis natus, de quaestu quem qui fecisset ne legeretur, de censu, de ceteris rebus: quae omnia et Romanorum magistratuum auctoritate et Halaesinorum summa voluntate valuisse usque ad Verrem praetorem.

Ipsa locorum descriptio ut illa aetate fuerit accuratissima et apertissima, ita nobis difficillima esse debet et plerumque obscura. Maximo opere differunt prioris paginae agri ab eis qui in posteriore describuntur: illic solum planum est et ferax, variis arboribus consitum, multis fluviis rivis fossis perfusum, hic colles sunt saltus rupes turres aedificia, nec tamen ager sterilis vel aquarum inops. Haec omnia et si quae sunt alia inserviunt finibus observandis, velut Hyginus ait p. 126 Lachm. fines multis documentis servari, *terminibus aut arboribus notatis aut fossis aut viis aut rivis aut iugis montium aut devergiis aquarum aut — vepribus aut superciliis* e. q. s. Aquae nominantur praeter Halaesum flumen ὁ βαθὺς ῥοῦς, ὁ ποταμός, ὁ ῥοῦς ὁ Ὀπικανός, τὸ ῥοΐδιον, ὁ ῥοΐσκος, praeterea ῥοΐσκοι α′ et β′, denique Ipyrra

fons; e quibus cum et Halaesus et Opicanus et Ipyrra appositis appellativis ῥοῦς et κράνα curatum sit ut quid essent agnosceretur, non possunt fluvii esse, id quod Franzio visum est, aut ὁ Πλάταμος aut ὁ Ῥαχᾶς (II 12. 17. II 25. 66 al.). Accedit quod si fluvius esset ὁ Πλάταμος non poterat II 12 sic describi ἀπὸ τοῦ τέρμονος τοῦ ὑπὸ τὰν Ἀσπίδα ἐς τὸν Πλάταμον, εἶ ὁ τέρμων, sed debebat ἐς τὸν Πλάταμον καὶ κατὰ (vel ἂν) τοῦ Πλατάμου ἐς τὸν τέρμονα. Itaque non est fluvius nec omnino nomen proprium, sed videtur esse i. q. πλαταμών, nec iam dubiae fidei vocabulum erit lexicographis. Non magis Ῥάχαν s. Ῥαχᾶν fluvium licet interpretari; quid sit docent verba II 24 sqq. ἀπὸ τοῦ ῥόου τοῦ Ἀλαίσου ἐς τὸν τέρμονα τὸν ἐν τῷ πέτρῳ τὸν παρὰ τὰς πυάλους καὶ ἂν τοῦ ῥάχα ἐς τὸν πέτρον, ἐν ᾧ τέρμων h. e. *relicto Halaeso flumine ad rupem; ibi terminus est. et sursum iugo ad rupem; ibi terminus est.* Est igitur ῥάχας i. q. ῥάχις; κατὰ τοῦ ῥάχα legitur II 66 *deorsum iugo.* Item locum aliquem editum denotat vocabulum ῥίς. Quattuor sunt ῥῖνες, prima II 36. 39 ἁ ῥὶς ἁ ἐν τῷ πύργῳ, ubi πύργος non turris (τυρρίδιον II 65) sed castellum videtur esse; altera ἁ κατὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀππόλλωνος II 54. 63; tertiam habemus II 65 τὰν ῥεῖνα τὰν ΠΕΛΑΣΤΑΤΑΝ ποτὶ τὸ τυρρίδιον, quod Franzius haud recte legit τὰν Πελάστα τὰν ποτὶ τ. τ. Mea lectio τὰν πελαστάταν confirmatur loco postremo II 76, ubi quarta ῥίς est ἁ ἐχομένα τοῦ β' τυρριδίου: neque enim non potest diversa esse a tertia. Fortasse ῥίς idem significat quod latinum '*supercilium;* supercilia enim *loca sunt ex plano in brevi clivo devexa intra pedes altitudinis XXX; alioquin iam collis est,* Hyginus p. 128, 16.

Viae praeter eas quae simplici nomine ὁδοί appellantur et praeter semitam quandam (ὁ τρίβος II 30) inprimis memorantur ἁ Ξενίς (I 15 sqq.), quae eo loco ubi incipit sexta sors competit cum ea quae ducit propter Iovis Milichii fanum (Μειλιχιεῖον), deinde ea via quae ducit ad Tapanum (aedificium hoc arte munitum, cf. I 52), denique omnium ut videtur latissima ἁ Θεματεῖτις*); competunt autem ἁ Θεματεῖτις et Tapanitis via in sorte septima (I 20 sqq.). Quae sors quod non ipsa via Thematitide, sed fossa terminatur quae iuxta viam decurrit, facilem hoc inde habet explicatum, quod omnes illae viae sunt publicae *non finium causa directae, sed itinerum,* ut ait Siculus Flaccus *de condic. agrorum* p. 147, 9, eoque exemtae possessionibus; privatae autem viae ad finitiones agrorum vel propterea pertinere nequeunt, quod iussu privati hominis factae eiusdem arbitrio etiam aboleri possunt. Accedit aditus ad Adranieum ἑξάπεδος sex pedes latus (I 53. 62).

Terminorum quae sit natura et species plerumque non exponitur; dicitur εἶ vel ὡς ὁ τέρμων, ἐς τὸν τέρμονα sim., quae vix intellegi possunt nisi ex delineatione in forma aenea incisa. Interdum accuratius notantur ὁ τέρμων ὁ ποτὶ τᾷ Ἰπύρρᾳ I 31, ὁ ὑπὲρ τᾶς ὁδοῦ I, 41, ὁ ἐν τῷ λίθῳ II 34, ὁ ἐν τῷ πύργῳ II, 35, itemque alia dicendi ratione ἐς τὸν πέτρον, ἐν ᾧ τέρμων I 31 similia. Longe vero saepissime arbores olivae pro terminis sunt, et saepe eiusdem agri plures sunt et in uno rigore (Hygin. p. 127, 11), quod ubique eodem modo significatur ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέρμων. Itaque in ipsis oleis notae quaedam fuerint necesse est, fueruntque *arbores notatae.* Iam vero in paginae saltim prioris capitibus omnibus et in posterioris prioribus (usque ad v. 22), ubicunque ab olea ad oleam fines deriguntur, ad extremum haec formula adicitur αἱ ἐλαῖαι αἱ ἐπιγεγραμμέναι αὗται ἕπονται τῷ κλάρῳ τούτῳ, contra ubi non sunt oleae pro terminis deest formula (cf. I 19. 50. 63. 68. II 22). Hinc consectaneum est oleas

*) dicta haec via videtur a fundis; fundos enim Siculi θέματα vocare solebant, cf. titulus Acrensis CIG 5430, ubi compendiosa scriptura ΘΕΜ non recte θεμέλιον explicatur. Hesychius θέμα· τόπος, στάσις.

terminales ipsas esse τὰς ἐπιγεγραμμένας. Distinguendae autem ab notatis his arboribus, quae terminorum loco sunt, eae videntur esse quibus certum quoddam signum impressum est |Â|. Legitur I 38 ἐς τὰν ἐλαίαν, ἐν ᾇ τέρμων, καὶ ἐς τὰν ἐλαίαν [τὰν] ἐπιγεγραμμέναν |Â| κτλ'; unde patet non eadem nota utramque oleam insignitam fuisse. Earum sortium quae in pagina posteriore Halaesi fluvii accolis vindicantur secunda non solum oleam habet signo |Â| notatam, sed etiam pirum et ficum. Tamen quod non additur, pertineantne ad ipsam sortem necne, hinc sequi existimo ut addito hoc opus non fuerit utque ipsa nota quo arbores pertinerent docuerit. Itaque — nam quod figuram |Â| olim ita explicandam putaveram ut esset πό(λις) Ἀ(λαισίνων) hoc nimis incertum est — fortasse sunt arbores *intactae* vel *ante missae,* ex quibus nec fructus capere licebat neque frondem nec lignum nec cremium (Hygin. p. 131, 1). Singularis videtur arbor I 33 ἐλαία ἁ ἐπιγεγραμμένα: posita est ad rivum (ῥοίσκον), ubi sortis octavae fines recta rivi regione relicta contingunt sortem septimam. In versura igitur posita est; in versuris autem quae notantur arbores, *aut decus* (i. e. decusses) *in eis inveniuntur aut gammae,* ut ait Hyginus p. 144, 20. Quae ratio si cui minus placuerit poterit is vel lapidarium insimulare erroris vel eos qui descripserunt, cum post verba τὰν ἐλαίαν τὰν ἐπιγεγραμμέναν omiserint notam |Â|. Et patet sane huius in tabula loci non facilem fuisse lectionem; cf. adnot. crit.

Loca sacra in tabula Halaesina commemorantur Apollinis fanum*), τὸ Μειλιχιεῖον i. e. Iovis Milichii templum, denique Adrani Siculi dei aedes (τὸ Ἀδρανιεῖον), quorum duo priora sita videntur fuisse extra fines agrorum locandorum, Adranieum vero in medio agro prope decimam alteram sortem paginae prioris (I 62). Hinc consentaneum est liberum ad templum aditum relinqui: παρεξεῖ (i. e. ὁ μισθωσάμενος τὸν κλᾶρον) πόθοδον ἐξάπεδον ποτὶ τὸ Ἀδρανιεῖον, praeterea autem, *ut per diem sollemnitatis agri nullam molestiam inculcantis populi sustinerent* — Frontini sunt verba *de controv. agr.* p. 57, 12 — κ' πόδας ἀποστασεῖ ἀπὸ τοῦ ναοῦ παντᾷ. Plerumque quindecim pedum spatium ad hunc usum cedebatur.

Satis memorabilia sunt quae de seminario oleagino praecipiuntur I 70 περίστασις τῷ ἐλαιοκομίῳ εἴ τίς ἐστι ἱερά, ἕπεται· οὐ ποιησοῦντι δὲ βυρσοδέψιον οὐδὲ μαγειρικὸν οἱ μισθωσάμενοι τὸ ἐλαιοκόμιον. Sic est interpungendum; neque enim intellego quod Franzius edidit περίστασις — εἴ τίς ἐστι, ἱερὰ ἕπεται. Hoc dicitur *in circuitu oliveti si qui sacer est locus is ut pertineat ad agrum neve eximatur.* Sacra an religiosa intellegenda sint loca nescio, certe non videntur ea fuisse sacra quae etiamtum celebrarentur. Coriarium autem et popinam ideo vetatur ne quis illic constituat, ne odor nidorque culinae fumantis vel corii madentis arboribus colendis officiat.

Subobscura denique sunt quae loco lacunoso I 7 praescribuntur

τὸ . . . . . .] τὸ ὑπὸ τὸν ὀχετὸν ἄχρι ποτὶ τὰν κράναν
τὰν Ἰπύρ]αν οὐκ ἐργαξεῖται καὶ περίστασιν ἀφησεῖτα[ι
πό(δας) ο' παντᾷ, τὰ δὲ δένδρεα καρπεύσε[ται.

*) huius fani situs describitur II 63 ἀπὸ τᾶς ῥινὸς τᾶς κατὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τᾶς κατὰ τὰ χάλκια τὰ ποτὶ τῷ μαγειρικῷ. Convenit apprime haec descriptio cum verbis paullo superius scriptis II 53 ἐκ τᾶς ῥινὸς τᾶς κατὰ τὸ ἱερόν, εἶ τὰ χάλκια, κατὰ τὸ μαγειρικόν, ut idem fanum utroque loco intellegendum esse dubitari non possit. Mirum vero priore loco Apollinis nomen non adici, adici altero loco: contrarium si factum esset nemo offenderetur, illud vero vix defendi potest. Itaque suspicor locum priorem lapidarii culpa mutilum sic redintegrandum esse ἐκ τᾶς ῥινὸς τᾶς κατὰ τὸ ἱερὸν [τοῦ Ἀπόλλωνος] κτλ'.

ubi ΚΑΡΠΕΥΣΕΝ quod habent apographa correxi καρπεύσεται, non καρπευσεῖ cum Franzio, coll. tab. Heracl. I 101 τοὶ δὲ μισθωσάμενοι καρπεύσονται τὸν ἀεὶ χρόνον, cui verbo nihil impedit quominus accusativus addatur. Veri est dissimile spatium septuaginta pedum ideo relictum esse ut aquaturis ad fontem Ipyrram aditus pateret, cum praesertim ad viam publicam fons situs fuisset, cf. I 32. Itaque locus ille publico alicui usui destinatus videtur fuisse, quem qui conduxisset aratro exercere vetabatur, ut tamen arborum et lignis et fructibus uteretur. Ipsum loci nomen periit initio versus septimi.